



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Quid sit differentia proptissima primo intentionaliter accepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ipſius, concedo; metaphyſica; nego maiorem, & ad minorem dico quod ſit differentia propriiſſima phyſica ipſius, & quod prædiceret in concreto de homine; bene enim poteſt dici quod homo ſit animatus, & quod etiam conſtituat ſpeciem, ac contrahat genus radicaliter, ſaltem partialiter.

CONCLUSIO II.

Diuiſio illa
cit analogi
in analogata.

7. *Prædicta diuiſio eſt analogi in analogata.* Hæc eſt communis cum *Doctore quaſt. 23. Vniuerſ.* ac ſuis. *Probatu*: quia non eſt diuiſio vniuoci in vniuocata, & præterea membra diuidentia habent aliquam proportionem inter ſe: ſed omnis diuiſio, qua diuiditur aliquid in membra habentia proportionem inter ſe, ſi non ſit diuiſio vniuoci in vniuocata, erit diuiſio analogi in analogata ſecundum omnes: ergo illa diuiſio eſt analogi in analogata. Probatu maior quoad primam partem, in qua ſola eſt difficultas, quia vt ſit diuiſio vniuoci in vniuocata, debet dari aliquis conceptus determinatus abſtractus à mēbris diuidentibus qui eſſet cōmunis illis ſecundū eandē rationem: ſed hoc eſt falſum: ergo nō eſt diuiſio vniuoci in vniuocata. Probatu vltima minor, quia omnes differentia non poſſunt conuenire in vno conceptu cōmuni determinato, quia neque omnes differentia propriiſſima ſic conueniunt inter ſe, quandoquidem ſunt primò diuerſa; ergo multo minus conueniunt cū aliis differentiis in conceptu aliquo cōmuni.

Confirmatur, quia non poteſt assignari quis ſit ille conceptus vnus obiectiuus, in quo conuenirent: ergo non eſt dicendum, quod conueniant in aliquo tali. Probatu, quia non eſt cōceptus entis, quia in eo nulla differunt: nec conceptus ſubſtantia; vt ſic, quandoquidem aliqua differentia non ſunt ſubſtantia; aut ſubſtantiales: nec accidentis vt ſic, quandoquidem aliqua ſunt differentia; quæ non ſunt accidentia nec accidentales: ſed nullus conceptus vnus determinatus dari poteſt, qui non ſit ens, vel ſubſtantia, vel accidentis; aut ſubſtantia, vel accidentale: ergo non poteſt assignari aliquis conceptus differentia; qui ſit vnus, ac determinatus, ac communis omnibus differentiis.

Confirmatur ſecundò, quia omnis formalitas poſitiua debet habere aliquod munus aliud, quam facere diſſerre, ſicut albedo, quæ eſt differentia particularis, habet aliud munus quam facere diſſerre ſuum ſubiectum ab alio ſubiecto: ſed non poteſt assignari aliquod munus illius differentia; vnus determinata vt ſic, quæ eſſet communis vniuoce omnibus differentiis: ergo non datur talis conceptus.

8. *Obiicies*: omnes differentia conueniunt in hoc, quod faciant diſſerre, & poteſt aliquis habere conceptum de aliqua forma, quod faciat diſſerre, & eſſe certus de hoc, & hoc non obſtante dubitare an faciat diſſerre per modum differentia propria; communis, aut propriiſſima: ergo conueniunt vniuoce in conceptu facientis diſſerre vt ſic.

Reſpondeo, ſicut reſponſum eſt ſupra, cum quaereretur vtrum daretur conceptus indiuidui vt ſic, cōmunis omnibus indiuiduis, & ſicut reſponderetur inferius, quando ſimile argumentum proponetur contra doctrinam noſtram de differentiis vltimis. Reſpondeo inquam diſtinguendo antecedens: conueniunt in conceptu aliquo determinato abſtracto & præſcendente, nego alio modo, concedo antecedens & nego conſequentiam, loquendo de conceptu vniuoco abſtracto & præſcifo ab inferioribus, de quo conceptu ſit mentio in cōcluſione.

Aduertendum autem hic quod loquamur de differentiis hiſ, primo intentionaliter acceptis, & ſecundū quacumque formalitates competentes ipſis ante operationem intellectus. Quod ſi loquamur de ipſis ſecundo intentionaliter, prout ſubſunt relationibus aliquibus rationis aduenientibus ipſis per operationem intellectus, poteſt dici de ipſis quod conueniant vniuoce, ſicut idē diximus de naturis omnibus vniuerſalibus & indiuiduis, prout ſubſunt ſimilibus relationibus, quia à relationibus rationis fundatis in differentiis omnibus æque poteſt abſtrahi ratio aliqua cōmunis differentia ſecun-

dò intentionaliter acceptæ, ac à relationibus naturarum genericarum ac indiuiduorum, vt eſt euident.

9. *Quæſan* prædicta diuiſio ſit in membra realiter diſtincta, an vero formaliter. *Reſpondeo* eſſe ſine dubio in membra ad minus formaliter diſtincta, quia conceptus differentia communis, propria, & propriiſſima ſunt conceptus ſatis diuerſi inter ſe.

An diuiſio
differentia
vt ſic ſit
in membra
realiter
diſtincta.

Reſpondeo ſecundò eſſe etiam in membra realiter diſtincta, quantum ad hoc quod dentur differentia communes, propria, & propriiſſima, quæ inter ſe realiter diſtinguntur: nam rationalitas, quæ eſt differentia propriiſſima hominis, diſtinguitur realiter ab albedine, quæ eſt differentia communis, & cicatrice quæ eſt differentia propria eius.

Reſpondeo terciò, non eſſe in membra realiter diſtincta, quali quælibet differentia ex membris differentibus debeat à cæteris realiter diſtingui: nam riſibilitas, quæ eſt differentia propria hominis, non diſtinguitur realiter à rationalitate, quæ eſt differentia propriiſſima eius, præſertim in noſtra ſcotiſtarum ſententia. Nec etiam debent membra diuidentia eſſe ita realiter diſtincta, quin vna, & eadem forma in ſpecie poſſet habere rationem differentia vnus ex illis tribus reſpectu vnus ſubiecti, & alterius differentia reſpectu alterius ſubiecti; nam albedo, quæ eſt differentia communis hominis, eſt differentia propria cygni. Vnde melius eſt dicere, quod membra diuidentia differentia, vt ſic, abſtrahunt ab identitate & diſtinctione reali.

QVÆSTIO II.

Quid ſit differentia propriiſſima primò intentionaliter accepta.

10. *Indagabimus* iam particularius naturā differentia propriiſſima, quæ ſola eſt illa, quæ eſt terciū prædicabile, quæque ſicut & cætera vniuerſalia, poteſt cōſiderari & primò intentionaliter & ſecundò intentionaliter. Eius autē dedit *Porphirius* quinque deſcriptiones. Prima eſt: *quod differentia eſt id quod ſpecies excedit genus.* Secunda: *differentia eſt, quæ ſuapte natura ea, quæ ſub genere ſunt ſeparat.* Tertia: *differentia eſt id, quo ſingula differunt.* Quarta: *differentia eſt, quæ non ſolum ſeparat ea, quæ ſub eodem genere collocantur, ſed ad ſubſtantiam rationemque conſert.* Pars eius eſt, cuius differentia dicitur. Quinta denique: *differentia eſt, quæ de pluribus differentiis ſpecte in quale quid prædicatur.* Ex hiſ deſinitionibus ſeu deſcriptionibus vltima conuenit differentia ſecundò intentionaliter acceptæ, quatenus ſcilicet eſt prædicabile per intellectum, & de ea agemus quaſtione vltima. Reliquæ conueniunt ipſi primò intentionaliter acceptæ, & de iſis hic agendum eſt.

Quinque
deſcrip-
tiones
differentia
propriiſſi-
ma.

CONCLUSIO I.

11. *Qualibet ex prædictis quatuor deſinitionibus ſeu deſcriptionibus eſt bona.* Hæc debet eſſe communis, & probatur, quia per quamlibet ex illis declaratur natura iſtius formalitatis, quæ eſt differentia propriiſſima, vt diſtinguitur à cæteris formalitatibus, quæ non ſunt tales: ergo quælibet eſt bona. Probatu minor diſcurrendo per ſingulas; & quantum ad primam certum eſt quod nulla ſit formalitas, qua ſpecies excedit genus, ſeu quam ſpecies dicit per ſe primò vltra genus, præter formalitatem differentia: Quantum ad ſecundam non minus certum eſt, quod nihil aliud per ſe primò ſeparat & diſtinguit ſpecies, quæ ſunt ſub genere immediate, præter differentias: ſicut nihil aliud formaliter diſtinguit hominem à bruto per ſe primò præter rationalitatem. Quantum ad terciā patet, ſingulas res, quæ ſunt differentes eſſentialiter diſſerre ſola differentia: & denique quantum ad quartā cōſtat illa ſola, quæ ſeparant aut diſtinguunt ſpecies, ſeu quibus ſpecies vnus generis diſtinguntur, & præterea ſunt de eſſentia ſpecierum, eſſe differentias propriiſſimas; vnde licet riſibilitas & hinnibilitas diſtinguant hominē ab equo, tamen non ſunt differentia propriiſſima quia non ſunt de eſſentia hominis & equi.

Quatuor
primæ ſunt
bonæ.

Dices contra primam, ſecundam, & terciā: riſibilitas eſt formalitas, qua ſpecies humana excedit genus, verbi gratia animal: homo enim vltra animalitatem includit

Conue-
niunt vni-
uoce ſe-
cundo in-
tentionali-
ter acce-
pta.

risibilitatem, & eadem risibilitas separat hominem à bruto, & consequenter etiam homo & brutum differunt ratione risibilitatis.

Respondeo risibilitatem non esse formalitatem, quia per se primò species excedit genus, verbi gratia homo animal, nec est per se primò separatium hominis ab equo, nec differt essentialiter homo ab equo ratione risibilitatis formaliter loquendo, quandoquidem non sit de essentia hominis.

CONCLUSIO II.

12 Differentia, ut vniuersale metaphysicum distinctum à ceteris vniuersalibus, bene describitur esse illa quæ potest inesse multis, tanquam pars essentialis determinatiua. Hæc in re non negabitur, vt credo, ab vilo, & patet, quia vt vniuersale metaphysicum; dicit respectum ad multa, in quibus possit esse cum sui multiplicatione, & vt vniuersale tale, dicit respectum distinctum à respectibus, quos dicit cætera vniuersalia; sed nullum respectum potius dicit, quam quod possit esse in illis per modum partis essentialis determinatiui rationis communis: ergo bene describitur differentia, vt vniuersale metaphysicum distinctum à reliquis vniuersalibus, prædicto modo.

Ex hac autem descriptione colligitur quod differentia, vt est vniuersale metaphysicum, dicat tres respectus ad minus, vnum ad genus quod determinat, alterum ad illa plura, in quibus potest inesse, & tertium ad alias res à quibus facit rem, in qua includitur, essentialiter differre.

Quamuis quod ad me attinet existimem respectum illi, quæ dicit ad res, à quibus facit differre, non spectare formaliter ad ipsum, quatenus est vniuersale distinctum à reliquis vniuersalibus; quod probō, quia quamuis verbi gratia non daretur aliquod animal possibile præter rationale, rationalitas non diceret respectum ad aliquas res à quibus faceret per se differre, & tamen esset vniuersale metaphysicum potens inexistere pluribus hominibus, non autem per modum generis, nec speciei; nec proprii, nec accidentis: ergo per modum differentie, & consequenter ille respectus, quem dicit ad res alias, à quibus per se facit differre, est per accidens ad conceptum & rationem differentie, vt est tertium vniuersale.

13 Dices: non esset in illis pluribus per modum partis essentialis determinatiui seu contractiui; sed illa ratio requiritur ad tertium vniuersale: ergo per se requiritur ille respectus ad tertium vniuersale. Probat maior, quia illud solum est determinatiuum, quod minus late patet quam determinabile: sed nisi animal, verbi gratia, posset esse in aliqua alia specie quàm in homine, non posset esse magis late patens quam rationalitas: ergo vt rationalitas sit determinatiuum, debet animal esse in alia specie, & vt consideretur rationalitas vt differentia, debet considerari animal in alia specie distincta & differente ab homine, & consequenter respectus ad aliam speciem, à qua faciat rationalitas differre, requiritur ad hoc vt habeat rationem tertij vniuersalis.

Respondeo negando maiorem cum maiori probationis quia dupliciter potest aliquid esse determinatiuum & contractiui alterius: vno modo quatenus esset minus late patens & contraheret illud quod determinaret, ad vnam determinatam speciem, ad quam contractum esset ex se indifferens: alio modo quatenus tribueret aliquam determinationem quatum ad effectum, rei determinatæ, quæ ex se non haberet, siue esset minus late patens, siue non; & in hoc sensu rationalitas esset determinatiuum & contractiui animalitatis, quia sine rationalitate non posset anima principiari discursum, & mediante rationalitate potest ipsum principiari: hic autem modus determinatiui sufficit ad tertium prædicabile. Et licet fortassis de facto semper, quod est determinatiuum hoc modo sit determinatiuum etiam primo modo, tamen id est per accidens ad rationem tertij vniuersalis, unde huius ratio formalis haberetur, quamuis non esset annexa illa ratio determinatiui primo modo, hoc est per modum partis minus late patentis, seu nõ cõuertibilis cum formalitate determinabili. Fateor quidē quod non posset considerari rationalitas vt differentia hominis

ab aliis rebus, quin consideretur animalitas in aliis rebus sine rationalitate, & consequenter tertium respectum spectare ad differentiam qua differentia est, non tamen spectat ad ipsam vt tertium vniuersale præcise.

CONCLUSIO III.

14 Illa descriptio sufficit ad describendum differentiam infimam & propterea debet addi, quod illa plura, quibus inesse debet differentia infima, si distincta numero tantum. Hæc etiam debet esse communis. Patet prima pars quia differentia infima, & subalterna, seu non infima, distinguuntur, alias vna non esset infima, vel subalterna potius, quam altera, ergo descriptio conueniens vni ex ipsis non sufficit ad describendam alteram, quatenus distinguuntur: sed prædicta descriptio, si aliquid addatur, conuenit etiam differentie subalterne tam bene, quam infimæ, ergo non sufficit ad describendam differentiam infimam. Hinc sequitur secunda pars, quia si non sufficit, aliquid debet addi, vt sufficiat: sed nihil potius, quam quod debeat posse inesse pluribus numero tantum differentibus: ergo id debet addi.

Confirmatur: quia per hoc, quod talibus inest, distinguitur à differentia subalterna.

15 Dices: Differentia infima & subalterna nullo modo distinguuntur in esse tertij vniuersalis metaphysici: ergo descriptio prædicta differentie, vt est vniuersale metaphysicum, quamuis conueniat differentie subalterne, erit tamen sufficiens ad describendam differentiam infimam. Probat antecedens, quia alias darentur sex vniuersalia, nimirum genus, species, differentia infima, differentia subalterna, proprium & accidens.

Respondeo distinguendo antecedens: in esse tertij vniuersalis metaphysici vt sit, cõcedo antecedens; non esse tertij vniuersalis talis, nego antecedens, & ad probationem dico quod non est absurdum dari plura vniuersalia in particulari quam quinque, modo illa continentur sub illis quinque. Itaque quemadmodum genus & species, licet conueniant non solum in ratione vniuersali s vt sit, communi cæteris vniuersalibus, sed etiam in ratione vniuersali vt sit, quod potest inesse multis per modum aliqui non determinatiui, & distinguuntur secundum rationes particulares per hoc, quod genus inest per modum partis essentialis non determinatiuæ, & species per modum totius essentialitatis quamuis differentia infima, & subalterna non solū conueniant in ratione vniuersali, quod possit inesse multis per modum partis essentialis determinatiuæ, quæ est ratio tertij prædicabilis; possunt tamē differre in rationibus particularibus per hoc, quod vna possit inesse multis specie differentibus, & altera solū possit esse in multis numero differentibus; seu per hoc, quod vna, nimirum subalterna, possit in esse multis per modum determinatiui rationis genericæ, & determinabilis vltius determinatione essentiali; altera vero, nimirum infima, possit inesse multis per modum determinatiui, quod nõ sit vltius determinabilis essentialiter.

16 Dices: si hæc doctrina esset vera, cum posset reduci numerus vniuersalium ad quatuor, comprehendendo scilicet genus, & speciem sub vno vniuersali, quod sit prædicabile in quid, sicut comprehenduntur differentia infima & subalterna sub vno vniuersali, quod sit prædicabile in quale quid: sed hoc videtur inconueniens, ergo & id vnde sequitur.

Confirmatur, quia non est potior ratio cur nominarentur particulariter, tanquam membra diuidentia vniuersalis vt sit, genus & species, quam differentia infima & subalterna, si fuissent hæc distinctæ in ratione aliqui particulari vniuersalis: ergo deberent sic nominari, & consequenter, quandoquidem non sint nominate, signum est quod non sint distinctæ inter se in aliqua ratione particulari vniuersali.

Confirmatur secundo, quia non potest assignari ratio cur non sint sic nominate, nisi quia existimauit. Potphyrius ea non fuisse sic distincta: ergo nõ sunt distincta.

17 Respondeo concedendo maiorem, & negando minorem, nec tamē male dabatur per quinque membra, quia sicut

descriptio
differentie
proprie
ma vt vni-
uersale me-
taphysicu
particula-
re.

Dicit tres
respectus.

Tertius
respectus
est per ac-
ciden ad
rationem
differentie

descriptio
differentie
infimæ.

Differentia
infima, &
subalterna
possit esse
distinctæ
speciei
vniuersali-
tatis.

poterat dari per quatuor, imo & per duo, ita poterat etiam dari per quinque, vel absque vlla inconuenientia.

Ad confirmationem primam transeat antecedens, quantum est ex natura rei: nec tamen deberent nominari, quia poterant vel nominari, vel non nominari, prout placeret diuidenti, cui satis est, quod diuidat diuisum adæquate, non relinquendo vllum membrum diuidens, quod non exprimat vel in se formaliter, vel in aliquo continente ipsum. Dixi autem: *transeat quantum est ex natura rei*, quia quantum ad opinionem particularem Porphyrij poterat esse aliqua ratio particularis, cur non nominauerit differentiam infimam tanquam vniuersale distinctum, nimirum, quia forte existimauit non dari differentiam infimam.

Et per hoc patet ad secundam confirmationem, cuius antecedens est negandum: quia ratio poterat esse quod, vt iam dixi, non putauit dari differentias infimas: vel quia, cum id esset in controuersia, noluit id decidere, nec nominare differentiam illam expresse, de qua non constabat omnibus, an daretur, nec ne.

QVÆSTIO III.

In ordine ad quid constituitur differentia in esse vniuersalis.

18 Q Vandoquidem differentia qualibet etiam primo intentionaliter accepta dicat ordinem & ad genus quod diuidit, ac determinat, & ad speciem, quam constituit, & ad inferiora illius speciei, in quibus inexistere potest, verbi gratia rationalitas dicit ordinem ad animal, quod contrahit, ad hominem, quem cum animalitate constituit, & ad Petrum & Paulum, in quibus inexistit. Queritur hic, à quo ex his respectibus habet esse vniuersale metaphysicum. Quæ difficultas communis est ad differentiam subalternam etiam, de qua eadem est ratio quantum ad hoc, ac de infima. Solet etiam moueri hæc eadem difficultas de differentia secundo intentionaliter accepta: sed resolutio ex iisdem principiis dependet, nam per ordinem ad illa ipsa sine dubio constituitur in esse vniuersalis secundo intentionaliter accepti, per ordinem ad quæ constituitur in esse vniuersalis metaphysici.

Prima sententia est quod differentia constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem ad speciem, ita Caietanus, Tolentus, Sorus hic.

Secunda sententia est quod constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad propria inferiora ipsiusmet differentie, non vero per ordinem ad speciem aut inferiora speciei: verbi gratia rationale secundum hanc sententiam constituitur in esse vniuersalis tertij, non per ordinem ad hominem, nec ad Petrum & Paulum, alioque homines, sed per ordinem ad hoc & illud rationale, capiendū pro hoc rationali indiuiduum constitutum formaliter ex rationalitate & hæcitate sine consideratione alterius formalitatis. Hanc sententiam ex Sanchez reſeunt absque authoribus Complutensibus hic.

Tertia sententia communissima est, quod constituitur in esse huius vniuersalis tertij per ordinem ad inferiora speciei.

CONCLUSIO I.

Non constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem ad propria inferiora.

19 Non constituitur differentia in esse tertij vniuersalis per ordinem ad sua propria inferiora in sensu secunde sententie. Hæc est communis authorum aliarum sententiarum. Probat, quia respectu huius & illius proprii inferioris, verbi gratia rationale respectu huius & illius rationalis, prout rationale solum dicit indiuiduum constatum ex rationalitate & hæcitate, non est prædicabile in quale nec incomplete, sed in quid completissime, quandoquidem nihil consideretur in hoc rationali vt sic, præter rationalitatem & hæcitatē: ergo non constituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad illa inferiora.

Et si queratur, cuius vniuersalis rationem habet rationale, prout prædicatur de hoc & illo rationali in prædicto sensu: respondeo quod habet rationem secundi vniuersa-

lis, nempe speciei, quia prædicatur in quid per modum totius essentie. Et per hoc potest responderi ad argumentum, quod posset fieri contra hanc conclusionem, nempe quod rationale sit prædicabile de hoc & illo rationali: sed non alio modo, quam vt tertium vniuersale: ergo constituitur in esse tertij vniuersalis per respectum ad hoc & illud rationale. Respondendum enim ex iam dictis negando minorem, quia de illo prædicatur vt species.

CONCLUSIO II.

20 Non constituitur differentia in esse tertij prædicabilis per ordinem ad genus præcise, nec per ordinem ad speciem præcise. Hæc quoad primam partem est omnium & quoad secundam partem est authorum secunda & tertia sententia contra primam.

Probat, prima pars primò, quia vniuersale, quia tale, dicit respectum ad inferiora, quorum quodlibet minus late patet ipso, vt constat tū inductione in cæteris vniuersalibus, tum ex comuni acceptione omnium de vniuersali vt sic: sed genus non est quid inferius differentia, sed potius differentia est quid inferius genere: ergo non potest differentia constitui in esse vllius vniuersalis per respectum ad genus.

Probat, secunda eadem pars & secunda etiam, quia omne vniuersale constituitur in esse tali per respectum ad plura, in quibus potest inesse cum multiplicatione: sed nec genus vt sic, nec species vt sic, sunt plura, sed potius genus est vnum, & species est vna: ergo differentia non potest constitui in esse vniuersalis præcise per respectum ad genus, aut speciem.

Confirmatur secunda pars, quia species non est inferius respectu differentie ipsam constituentis, sed potius conuertibilis cum ipsa, & consequenter æqualis ipsi; aut si non sit conuertibilis ex eo scilicet quod differentia vnius speciei posset conuenire alteri speciei, profecto rum species potius haberet rationem determinatiui differentie, quam è contra, & sic non erit differentia respectu ipsius.

21 Obiicit: hæc prædicatio est formalis & bona: homo est rationalis: ergo rationale est prædicabile per modum alicuius prædicabilis de homine, & consequenter inest ipsi per modum alicuius vniuersalis metaphysici: non per modum alterius quam differentie, seu tertij prædicabilis: ergo tertium prædicabile constituitur in ordine ad speciem, quam constituit.

Respondeo negando secundam consequentiam, nimirum quod rationale inest homini per modum alicuius vniuersalis, ex eo quod sit prædicabile de ipso per modum alicuius prædicabilis. Nam licet omne determinatum, quod est prædicabile de aliquo, sit vel indiuiduum, vel aliquod ex illis quinque vniuersalibus: tamen non est necesse vt habeat rationem indiuidui aut vllius ex illis quinque, vt comparatur ad quodcumque de quo prædicari potest: id quod patet euidenter, quia quando aliquis cognoscit albedinem esse in hoc pariete, & nescit vtrum sit accidens ipsi, aut proprietas, aut differentia essentialis, licet possit ipsam de pariete prædicare in concreto, prædicatione formali dicendo: paries est albus: & licet à parte rei albedo sit aliquod ex quinque vniuersalibus metaphysicis, saltem fundamentaliter, & remoter tamen non cognoscitur vt tale ab illo, qui eam prædicaret, nec consequenter vt tale eam prædicaret, neque enim potest prædicare nisi vt cognoscit. Et si queris qualis sit prædicatio rationalitatis de homine: respondeo esse prædicationem formæ de re, in qua includitur forma.

CONCLUSIO III.

22 Differentia constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem specialem, quem dicit ad inferiora speciei, in quibus potest inesse mediante specie. Hæc est communissima contra primam & secundam sententiam.

Probat, quia constituitur in esse vniuersalis per respectum ad aliqua plura, in quibus inesse potest, & constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad illa, in quibus aliquo particulari modo, v.g. per modum formalitatis

Non constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad genus aut speciem

Non omne prædicabile habet rationem vllius vniuersalis aut indiuidui per ordinem ad quodcumque

Differentia constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad indiuidua speciei, quam constituit.